

*P. II. Cap. V. de Versione Vulgata Latina.* Notario sermonibus Latinis excoluit, hunc vero proprio Marte, postquam ipse lingvæ Chaldaicæ aliqualem notitiam assecutus fuerat. Maccabæorum librum primum se Hebraice reperisse scribit, ut etiam Ecclesiasticum; sed neutrum eorum exinde translulit. Librorum Hester, Danielis & Jeremiæ additamenta apocrypha, quamvis non approbaret, retinuit tamen, adjectisque notis passim reprobavit. Non equidem me fugit, perexiguam Hebrææ lingvæ peritiam Hieronymo passim a viris doctis tribui, & in his cum primis, versatissimum in Criticis Joann. Clericum *question. Hieronym. IV. & V.* ei exprobrare, quod cognitione Lexica & Grammatica destitutus, lectione saltem & usu didicerit, quantum Hebraice sciret, unde varius & anceps sit in significatione nominum, & in certissimas subinde Grammaticorum regulas peccarit. Quod exemplis, verbisque Hieronymi docere allaborat. Nec nego, illa literarum Hebraicarum & lingvæ subsidia præsto ei non fuisse, quibus nostra ætas abundat. Quando vero cogito, 1. ipsum a prima juventute ad extremam usque senectam, ardentissimis studiis, Hebrææ lingvæ operam dedisse, nullis parcentem laboribus, vigiliis, sumptibus, 2. variis, iisque apprime doctis, usum fuisse magistris, primum dum esset juvenis, & in eremo Monachum ageret, Judæo Christiano, a quo prima lingvæ Hebrææ rudimenta hausit, ut in *Epist. IV. ad Rusticum c. 6.* scribit; hinc Judæo alio, cujus ingenium & doctrinam toties in Epistolis ad Damasum Pontificem celebrat; deinde cum ex Ægypto Hierosolymas rediisset, Barhanina s. Barrabano quodam, quem magno pretio conduxerat, ut ipsum nocte instrueret, quia Nicodemi ad instar, Judæos fratres suos timuit, ut habet *Epist. LXV. ad Pammachium & Oceanum*, quem Ruffinus tamen per calumniam subinde Barrabam appellat; rursus Hebræo alio, quem Tiberiade acciverat, legis doctore, qui apud suos in admiratione habebatur, & cum quo contulit a vertice ad extremum ungvem, ut in *præfat. in lib. Paralipom.* ait; mox Lyddæo quodam Rabbino, qui apud Hebræos primus putabatur, quemque non parvis se redemisse nummis, in *præfat. versionis Jobi* testatur; demum adhuc alio, Hebraice & Chaldaice per quam perito, a quo linguam Chaldaicam addi-